

**Dissertatio inauguralis medica de natura, se ipsam nunc vindicante nunc  
destruente / [Günther Anton Heinrich Albrecht].**

**Contributors**

Albrecht, Günther Anton Heinrich.  
Richter, Georg Gottlob, 1694-1773.  
Universität Göttingen.

**Publication/Creation**

Gottingae : Literis Hagerianis, [1737]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dy362jp9>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**NATVRA,**  
SE IPSAM NVNC VINDICANTE  
NVNC DESTRVENTE,

---

QVAM  
ANNVENTE DEO,  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSV,

P R A E S I D E  
**GEORGIO GOTTLLOB RICHTERO,**

CONSLIARIO AVLICO ATQVE ARCHIATRO REGIO,  
MEDICINAE PROFESSORE PRIMARIO, EISDEM QVE  
ORDINIS h. t. PRODECANO, ACAD. CAES. NAT.

CVR. COLLEGA,  
PATRONO AC PROMOTORE OMNIS OBSEQVII  
CVLTV DEVENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE HONORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS  
LEGITIME OBTINENDIS  
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SUBIICIT

A V C T O R

**GVNT. ANT. HENRICVS ALBRECHT**  
HILDESIENSIS  
DIE XI. SEPT. 1737.

---

GOTTINGAE LITERIS HAGERIANIS.

DSSERTATIO INAGARIALIS MEDICI

DE  
NATURA  
HUMANICAE INDICANTE  
HUMANIC DESTRAENTE

---

QVAM

ANNVENTE DEO  
GRATIOSUS GEORGAS MEDICI CONSUL

GEORGI GOTLOB RICHTER

CONSILARIO VATICANO ATOE ARCHIATRIO REGIO  
MEDICINAIE PROFESSORIS PRIMARIO EISDEM QVE

PROGENIES ET PRODECUNDO ACERBIS NIT  
CARIA CONCEP.

PATRONO AC PROMOTORIE OMNIS OBSERVAN

PRO GRADU DOCTORIS  
UNIVERSITATE IN ARTES HONORIBVS ATOE TITULICIS

LEGITIME OBTINENDIS  
IN ACADEMIA GEORGIA VAGELSTADT

PRIVATO ERUDITORUM EXAMINI SUBIENS

ACKOY

ANT. HENRICAS ALBRECHT

HILDENSENSIS

Die IV Sept 1732

---

GOTTINGAE LITTERIS HAGERRIANIS

*ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO*

**DOMINO**

**GERLACO ADOLPHO**

*DE*

**MVNCHHAVSEN**

**DYNASTAE STRAVSFVRTI**

**AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE  
REGIS**

**IN TERRIS BRVNSVICENSIBVS ET LVNEBVRGENSIBVS**

**A CONSILIIS INTIMIS**

**PRAEFECTO MAGNO DVCATVS CELLENSIS**

*DOMINO SVO GRATIOSISSIMO*

**FELICITATEM PERENNEM**

**APPRECATVR**

**AVCTOR.**

Gunth. Anton. Henricum Aldrochet.

Illustrissime & Excellentissime Domine,

Domine Gratiostissime!

MUNICHIAVSEN

DYNASTAE STRAVSFRITI

AGASTISSIMI MAGNE BRITANNIAE

REGIS

212

**N**erecunde conspectum *Tuum*, Illustrissime Domine, haec subeunt Academicae primitiae, quippe exili ingenio prognatae. Veniam merebor, quod ante oculos meos plura illorum versentur vestigia, quos patrocinium *Tuum* submisce ambientes minime repulisti. Haud dememini, cum nuper coram venerari tantum totius rei literariae Maecenatem lice-

liceret, quantum inde animi dubitanti mihi &  
tale consilium trepide meditanti accesserit. Susci-  
pe igitur, quod aeterni cultus & obsequii mei  
leue monumentum est, & inter prosperrima  
*Domus Illustrissimae* fata, praesidio *Tuo* di-  
gnare

**Illustrissime & Excellentissime**

**Domine**

**Domine Gratosissime**

**Illustrissimi Tui Nominis**

Dab.

Gottingae die XI.

Sept. 1737.

*clientem humillimum*

**Gunth. Anton. Henricum Albrecht.**

Prooemium. Indicat magnum artis in eo latere  
praesidium, vt naturae vires cognoscamus.

- §. I. & II. Litibus circa vocem Naturae reiectis illius definitio  
datur.
- §. III. Ex machinae corporeae structura motuum naturalium ra-  
tio enucleatur.
- §. IV. Fundamentum conseruationis corporis ex praemissis demon-  
stratur.
- §. V. Inter motus illos turbatos naturae molimina in morbis in-  
uestigantur.
- §. VI. Quando salutare sit naturae molimen in excretionibus im-  
peditis, maxime perspirationis, ostenditur.
- §. VII. & VIII. Spasmi, imprimis febrilis, ratio redditur.
- §. X Medela Naturae sufficiens ad tollendum spasmum ostenditur.
- §. XI. Causam morbi, non syntomata, aggredi naturam monstratur.
- §. XII. Ad causas morbi irritantes, vt vel corrigantur vel expel-  
lantur, natura fortius insurgit.
- §. XIII. Refertur huc acutorum familia, sive in resolutionem, sive  
suppurationem tendant.
- §. XIV. Medici officia circa salutaria naturae molimina explicantur.
- §. XV. Alterum membrum de natræ motibus in sui destructionem  
tendentibus per summa capita attingitur.
- §. XVI. XVII. & XVIII. Moriendi necessitas non in anima, cor-  
pus ex lege diuina deferente, sed in progressu corporis a statu  
flexilitatis ad summam rigiditatem posita ostenditur.
- §. XIX. Transitus fit ad motus naturae in destructionem corporis  
tendentes.
- §. XX. Ostenditur, cur in chronicis natura plerumque deficiat?
- §. XXI. Quomodo motum augmenta in morbis inflammatoriis  
pernicioſa fiant? speciatim, quando intempestiva fit suppratio?
- §. XXII. Motus auctiores, excitando gangrenam, aliquando ne-  
cant.
- §. XXIII. Ulterius naturae molimina pernicioſa inuestigantur, pree-  
sertim in assumto veneno.
- §. XXIV. Epilogus.



## PROOEMIVM.

Quam sapienti consilio veteres, vt medicus apud aegros spectatorem iudicem domi agat, suaserint, iusto cuilibet rerum aestimatori facile apparebit. Quodsi in fundamentum praeclari huius effati inquirent, melius certe saluti afflictorum prospicerent, qui ad aegros accessiti, religioni sibi ducunt, illos nisi medicamentorum farragine obrutos deserere. Addiscerent enim forsan, satius aliquando esse, ab omni pharmacorum licet celebratissimorum vsu abstinere, quam quidem salutares a natura ad debellandum morbum suscitatos motus, medicamentis intempestiue adhibitis, vel retardare, vel in aegrotantis perniciem inuertere. Ignorant certe morborum medelam, qui a pharmacis abstinere non didicerunt, & dum symptoma aegro forsan molestum tollunt, armis naturam priuant, quibus destituta morbi violentiae mox succumbere cogitur. Medicus nimirum cum naturae minister sit, illi in curandis morbis magna naturae habenda erit ratio. Cuius varia esse in variis morborum generibus molimina, vel mediocriter in artis exercitio versatum fugere non poterit. Siquidem salutares nunc in oeconomia nostra a natura excitantur motus, qui, eidem externa specie, ineuitabiles, alio tempore & morbi statu, humanae compagi ruinas minantur. Prus si vocatus ad aegrum medicus animaduertat, in eo omnis illi collocanda erit opera, vt perspiciat, v-

trum

trum natura subigendae causae corpori infestae par sit, tumque soli illi hoc opus relinquendum, an vero minus, sic remedio conuenienti succurrendum est. Respiciamus autem semper ad vestigia, quae natura ad eliminandam peccantem materiam praemonstrat. Si denique posteriorius obtineat, naturaeque methodus in destructionem afflicti corporis tendere videatur, eandem praesidiis artis emendandam esse facile elucet. Causant autem arti salutari inseruentes, ne nimis leue hoc negotium censeant, quod opus maxime arduum, qui in facienda medicina exercitati sunt, ingenue profitentur. Nos operam omnem haud perdidisse, nec actum omnino egisse arbitramur, si speciminis inauguralis argumentum id potissimum se legerimus, quod in hoc maximo solidae atque rationalis praxeos fundamento stabiliendo versatur. Considerare nimirum nobiscum constituimus, qua ratione a natura in morbis excitati motus nunc ab interitu corpus afflictum vindicent, nunc viam quidem ad salutem monstrantes, illi expediendo non sufficiant, aliquando demum, sibi relicti, compagem corporis destruant. Apparebit ex hac consideratione, quodnam prudentis medici, circa salutariae naturae molimina, officium sit, quaeque contra eadem perniciosa ars salutaris praesidia alat.

C. o D.



## C. D.

### §. I.

**D**um itaque motuum naturae, nunc salutarium, nunc perniciosorum vberiorem reddere rationem constituimus, ordinis lex primum nos de vocis *Naturae* rationali explicatione sollicitos esse jubet. Quam tradituri neque veterum hac de re inanes fictiones moramur, neque lites, inter nostri aeu celeberrimos viros circa hoc argumentum exortas, nostras facere aequum ducimus. Prioris quippe in tanta huius Seculi luce dudum repudiatae sunt; posteriores, ab ingenuis in arte viris, ea industria atque sinceritate enodatae, ut quam incongruenter effectus machinae artificiosissime constructae principio cuidam metaphysico, cuius consideratio ne in medicum quidem, tanquam medicum, cadit, tribuantur, vel mediocriter ab hypotheseos praeiudiciis liberis constet. Missis ergo hisce in eo potius operam nostram collocamus, ut talem Naturae subministremus definitionem, cui superstructa, de illius actione, tractatio firmo fundamento niti queat.

A

§. II.

## §. II.

Vocamus autem *Naturam* motuum omnium microcosmicorum, siue solida siue fluida spectemus, talem concentrum atque nexus, quo eo conspirant, ut eliminentur, quae noxam corpori afferunt, applicentur e contrario, quae illi conseruando inseruiunt atque reparando, eaque ratione tota machina a spontanea corruptione vindicetur. Comprehendimus itaque hac definitione tam motum fibrarum tonicum, quam nerorum vndulatorium, tam peristalticum viscerum, quam cordis atque vasorum pulsorium, qui systole atque diastole absoluitur. Neque hic excluduntur motus fluidorum, quorum quidem intestinus calorem corpori largitur, progressiuus autem ad ea loca sanguinem aduehit, vbi vel secretio vel excretio vel nutritio fieri debet.

## §. III.

Exposita itaque naturae voce, quae tot tantisque ansam dedit in arte litibus, id nunc agimus, ut accuratius eruamus, quo pacto ea conditionibus requisitis par esse, & conseruationi suae machinae prospicere queat. Neque vero huius rei ratio obscura videri poterit illi, qui structuram corporis humani elegantissimam perspectam habet. Est nimirum compages illa tota tubulosa & diuariata vasorum propago, ut punctum ne minimum quidem assignari queat, quin sit vasculare, & eius vulnera humorem eliciant. Ita vis cerebri & cordis, vnde vasa illa omnia emergunt, totum corpus penetrat, & liquidum vtrinque propulsum toti machinae prospicit. Quodsi series tubolorum decrescentium sanguineum non amplius humorem capiat, serosa pars tubulos intrabit; quibus sine dubio exiliores dantur in corpore series, subtiliorem prioribus humorem vehentes. Decrescunt autem, donec in tubulo, membrana simplici constante & humorem, intra se coercitum, vehente, quo subtilior in corpore non existit, acquiescere ratio iubeat.

## §. IV.

Videamus nunc fundamentum conseruationis corporis ex artificiosissima illius structura; videamus inquam, qua ratione machina microcosmica per tot annos integra perdurare possit. Non est in toto corpore particula, quae suis muneribus functa corruptionem effugiat. Neque vero illa est in corpore particula, quae non moueat attenueturque alluente humore, abradatur iusto tempore, & infesta machinae, proxima via per excretoria eliminetur. Atteruntur omni momento vasorum latera; debilitantur minanturque roboris, quale quidem ad actiones vitales requiritur, funestum defectum. Sed quam pulchre prospicit huic periculo natura? conspirant omnes viscerum digerentium vires ad restaurandum, quod amissum est. Humor elaboratur stimulans sensiles ventriculi tunicas, appetitumque excitat cibi assumendi. Assumitur mox subigitur, motu canalis alimentosi peristaltico, calore fouente, arteriarum innumerarum innumeris ictibus, validaque atque perpetua diaphragmatis actione. Assimilatur admisu inquilinorum humorum & mox aptum redditur, quod omnibus dotibus in locum depulsi illico succedat. Applicat tum vis vitae fortiter & progressiuus humorum motus, a corde motore omni momento renouatus, omnia cum penetret, efficit, ut ad nutriendum elaboratus succus ad minimos vsque tubos aduehatur, & ita amissi instauratio in omni puncto egregie perficiatur. Sic mori omni momento incipimus, sed omni quoque momento renascimur; corruptionis initia saepissime experimur, quae, ne existialis fiat corpori, soli naturae tribuendum est. Cessemus itaque admiratione percelli, quod machina tenerrima, motibus innumeris vexata, tam diu integrat persistat; quos mortuus omnes ad eiusdem machinae conseruationem conferre, cognitum habemus. Admiremur potius atque submisso cultu veneremur Numinis in exstruendo microcosmo sapientiam,

tiam, quae illi arma atque praefidia ad auertendam sui destructionem validissima largita est.

## §. V.

Elucet itaque ex dictis, rationes compagis humanae ita esse comparatas, ut homini, sobrie atque naturae congruenti viuenti ultimos vitae attingere terminos concedant. Consultit nimis natura sanitati quotidie periclitanti, usque dum motibus nimiis sensim debilitata, vniuersalem illam moriendo legem, quam mortalium nemo effugere potest, impleat; id quod accuratius infra, cum de natura se ipsam vindicante atque destruente sermo incidet, explicandum erit. Annuntuntur certe ad hunc ultimum vitae terminum communia viuentium vota, ad quem tamen vix unum ex centenis venire, firmiter persuasi sumus. Neque enim latere admodum huius fortunae ratio videtur, cum iniuriis rerum, non naturalium dictarum, machina tenerrima omni momento exposita sit, plerique etiam mortalium luxu atque ingluvie aliisque innumeris in diaeta erroribus aetatis suae decursum ipsi praecipitent. Sic salutariae naturae molimina mire perturbuntur, dum mutationes inde productæ, praeter naturales vulgo salutatae, excrementiarum partium, ex corpore expellendarum faburram cumulant, vel impediunt, quo minus natura, applicando ea, quae in nutrimentum corpori cedunt, vires attritu perpetuo labefactas restaurare queat. Alia denique quacunque ratione si suffocentur motus, vel augeantur, vel ad loca insolita, & ad ferendas iniurias minus opportuna determinantur, morbo machina laborat. Ad quem tollendum quae inoliatur natura, nobis nunc dispiciendum est.

## §. VI.

Iuuabit autem, in memoriam ex praemissis reuocare, magnum naturae, ad conseruandum corpus, in eo positum esse praefidium, quod heterogenea quaevis per excretoria eliminet. Primum hic inter tot diuersa excretionum genera locum sibi vindicat, quae in tota corporis superficie peragi-

agitur sudoris atque perspirabilis materiae excretio. Quam quidem natura perficit, dum, motu ab interioribus versus exteriora salutari lege vergente, sphincterulorum, in sui contractionem ex fibrae natura nitentium, resistentiam superat, & sic exitum excernendae materiae per vias patulas concedit. Impediuntur haec salutaria naturae molimina, si vel resistentia extremorum ita augetur, ut motuum salutarium efficacia illi superandae non amplius par sit, vel ipsa natura adeo debilitata est, ut illius vis ad peripheriam corporis usque non pertingat. Posterius si obtineat, facile appareat, naturam se ipsam vindicare non posse, sed artis praefidiis illi succurrendum esse; si eueniat autem prius, extrema nimis corporis superficies vi vitali, versus exteriora mouenti, nimis resistat, duplicem hic morbus agnoscet causam: rigiditatem atque spasmus. Quorum illa naturae praefidia omnino respuit, cum tali lege ad mortem naturalem tendatur. Hic autem, excitando motus vitales atque intendendo, arma largitur naturae, quibus munita satis valide hostem debellare potest.

## §. VII.

Spasini itaque indoles accuratius perpendenda est. Qua quidem voce validiorem quamlibet fibrae muscularis atque nerueae contractionem intellectam volumus. Facile autem patet, tam vastum haec perscrutanti aperiri campum, quem ea qua par est solertia emetiri, dissertationis limites omnino recusant. Nos breuitati inseruientes, omissa spasmi, quamlibet fere corporis partem occupantis, historia, de generalioris illius spasmi, febrilis titulo vulgo insigniti, rationali explicatione solliciti sumus.

## §. VIII.

Est autem spasmus ille febrilis, nostra quidem sententia, totius generis neruosi atque vasculosi vehementior constrictio, qua sanguis a corporis peripheria ad viscera nobiliora, eorum nimis pulmones repellitur, excretiorum du-

ctuum orificia valide clauduntur, & excrementitiis humoribus exitus denegatur. Agnoscimus duplcem praesertim efficientem huius mali causam, lentorem atque acrimoniam, Quarum quidem prior, obstruendo minima vascula, partim resistentiam cordi auget, partim efficit etiam, ut validius tubuli aperti a nimia fluidi transeuntis vi afficiantur, eoque ipso in fortiorum systolen adigantur. Impedit praeterea excrementiarum partium per spiracula cutis, expulsionem, cum vis cordis propellens, ob canales intermedios obstructos, ad superficiem corporis usque pertingere nequeat. Multo tamen validius motus naturae salutares pervertuntur, si cum acrimonia, altera spasmi causa efficiente, eaque facile principe, hic lensor coniunctus sit. Primam ut plurimum irritans ista acrimonia in primis viis, ventriculo nimirum & canali intestinali, scenam adornat. Qui vterque tubus cum extunicis tum muscularibus tum nerueis iisque admodum sensilibus constructus sit, cumque nerui sinistrum praesertim ventriculi orificium copiosissimi, ex cerebro partim, partim ex spinali medulla orti, perrepere soleant: non admodum difficile cognitu videtur, quo pacto tam vehementer totum sistema neuosum in consensum trahatur, ita ut systole anterior, cum tremulo atque conuulsiuo motu, corpus integrum corripiat. Efficiunt praeterea spasmum illum omnia, quae externe neuorum cutaneorum, vel potius cutis ipsius, quae vasculorum atque neruarum expansionum mirabili contextu constat, constrictionem praestant. Ad quam classem e. c. terror atque frigus solito vehementius referenda sunt.

## S. IX.

Sed argumenti nostri ratio non requirere videtur, ut, quae & materiam & occasionem spasmo praebent, vberius exponantur. Neque enim officio nostro nos defuisse censemus, si calamitatum innumerarum, quarum motus spasmatici saepe auctores sunt, rationem vltiorem non reddiderimus. Siquidem in eo nostra versatur opera, ut perpenda-

mus, quid natura ad spasmus resoluendum vel moliatur vel etiam efficiat. Liceat autem, prius quam eo redeamus, litteram quandam, circa spasmi naturam inter recentiores exortam, breuibus attingere. Dubitarunt nimirum, utrum motus isti salutares & naturae congruentes, an vero perniciosi atque praeter naturales salutandi sint. Nostram hac de re sententiam ut breuiter exponamus, ingenue fatemur, motus, totam corporis oeconomiam, secretiones quascunque atque excretiones turbantes, salutares minime videri, quamuis illis corrigendis naturae vis aliquando sufficiat. Licet enim non negemus, salutares inde aliquando euenire effectus, tantum tamen abest, ut id boni spasio tribuendum sit, quin potius illum, pro sua indole, atrocissima semper mala producere audacter asseramus. Quod qui sibi persuaderi non patiuntur, considerent quae so, salubres illos effectus non nisi spasio soluto accidere. Soluitur antem solo naturae beneficio, & qui paroxysmo febrili occumbunt, certe, dum vis vitae resistantiae spasmodicae non amplius par est, & sanguis ad nobiliora viscera stagnat, eaque obruit, extinguntur.

## §. X.

Apparet itaque motus spasmodicos pro sua indole semper perniciosos esse, & interitum machinae microcosmicae innari. Luculentum quoque est, nullum hic a natura, nisi dum motus versus exteriora augendo, resistantias superat, expectandum esse praesidium. Videamus nunc, an haec naturae methodus ita comparata sit, ut in illa acquiescere possimus. Quod quidem faciemus lubenter, si curatoriis, ut loqui solent, indicationibus illa methodo satisfiat. Ad tria nimirum momenta, in sanando dicto spasio, potissimum respiciendum esse videtur: ut a sanguine abundante viscera nobiliora liberentur, ne iste vitales horum actiones, quae sublatae uno fere temporis momento necant, sufflaminet; ut minimorum ductulorum obstructiones referentur, & liber

per

per totum vasorum sistema humorum circuitus restituatur; ut denique irritanti materiae acri, vel obstruenti viscidae, per excretoria reclusa exitus compasetur. Primae harum indicationum salutari illa naturae lege, qua validam quamcumque cordis diastolen aequalis systole excipit, egregie propicitur. Est enim cordis robustissimus musculus in statu sibi maxime violento, dum sanguinis irruentis vi expanditur, qua expansione facta, in contractionem sibi naturalem nititur, fluidumque contentum valide expellere conatur. Cum ergo motu dicto perniciali spasmodico cruor versus centrum machinae, scilicet principium unde venit, repellatur, id quod pallida extrema atque detumescientia indicant, non poterit non validior inde cordis expansio oriri, qua ipsa huius machinae natus ad systolen augetur. Propellitur tum sanguis majori copia atque vi in pulmones, qui hoc ipso obruitur, cum effectu difficillimae respirationis. Remittunt autem omnia haec symptomata, si sanguis ad sinistrum illumque robustissimum reddit cordis ventriculum, qui, dia stole aucta incitatus, validam crux per corpus propulsio nem efficit. Facile tamen perspicimus, cor de infestis atque hostilibus hisce motibus uno ictu triumphare non posse, quam ob causam anxietates aliquando summae & pulsus parvus pugnae adhuc dubiae tristes indices sunt. Ex qua naturam reportasse victoriam, & anxietas remittens, & pulsus parvus in magnum laeta mutatio testantur. Hac itaque ratione cum natura primae indicationi egregie satisfecerit, armis nunc satis est munita, vt reliquis morbos conditionibus par esse queat. Est nimis altera nunc indicatio, vt qui lenta quadam materia obstructi sunt tubuli, deobstruantur. Cui quidem scopo motus a spasio excitati auctiores inferuiunt, qui resoluto spasio adhuc perdurantes & versus exteriora determinati, in tubulos obstructos humores magna vi impel lunt, viamque sibi per hos canales magis dilatatos restituunt. Hoc peracto curatoria, quam appellauimus, tertia indicatio facil-

facillime impetratur, dum vis cordis, libero per corpus circuitu restituto, ad superficiem vsque corporis penetrat, & maiorem solito, tum sudoris tum perspirabilis materiae excretionem efficit; quo quidem vehiculo peccans acre & viscidum ex machina eliminatur.

## §. XI.

Sic spasmus soluitur, cuius resolutio abunde testatur, quam salutaria aliquando sint, quae a natura excitantur, motuum augmenta, & quam intempestiue ea nonnunquam anodynus atque opiatis in perniciem aegri sufflaminentur. Maximum certe hoc in naturae methodo censemus artificium, quod illa, symptomatibus mitigandis parum intenta, morbosam causam valide aggrediatur, qua subacta symptomatum atrocia sponte aegrotantem deserit. Calor nimirum admordi vhemens, & vix toleranda sitis motuum naturae auctorum indiuidui comites sunt. Oriri tamen, ut resoluatur spasmus, necesse erat, cum resistentiae praeternaturali superandae vis naturae, qualis in corpore sano vigeret, non pareret. Motum vero auctum quis sine attritu aucto conciperet? vnde calor exsurgit. Quis tubulos, liquidum pro irrigandis membranis fundentes, spasmo constringi, sitimque a calore exsiccante oriri negaret? Neque tamen vnuquam, si methodo naturae morbo obuiam eatur, haec symptomata prius quam spasmus cessare videbis. Quodsi secus eueniat, caue id naturae negotium censeas, sed credas potius illam morbo occubuisse.

## §. XII.

Non est autem spasmus solus, in quo resoluendo natura quid valeat ostendit. Sunt infinita praeterea morborum genera, quae vix aliam, quam quidem naturae methodo medelain admittunt. Cum nimirum omne a natura medicatrice expectandum praesidium in motuum microcosmicorum augmentatione positum sit, facile apparet, omnes hic appellandos morbos esse, in quibus peccans materia motus na-

turales exacuit, & arma naturae largitur, quibus hostem sibi infestum expellere possit. Sic quoduis acre atque heterogeneum corpori inhaerens naturam ad augendos motus & expellendum, quod tubulo infixum est, incitat. Non poterit non gratum tibi spectaculum praebere, si spina digito infixa, affluxum sanguinis ad tubulum irritatum illo ipso momento augeri videas. Cui sanguini per vas irritatione facta constrictum transitus denegatur. Neque vero a tergo affluens sanguis valide premere cessat, unde inflammatio perfecta oritur. Sequitur tum suppuration & spinae inde liberatae expulsio. Eadem natura methodo incedit, si oeconomia animalis interne ab heterogeno aliquo inhaerente turbetur, siue illud assumptum externe siue interne generatum sit. Quodcunque enim harum rerum eueniat, non poterunt non vascula minima inde obstructionem pati, quam inflammatio proximo gradu excipit.

### §. XIII.

In vastissimum, dum haec perpendimus, ab ripimur morborum campum, quem emetiri, neque dissertationis limites, neque instituti nostri ratio permittit. Omnis nimirum acutorum familia fixam sanguinis, in tubulosa partium aut viscerum substantia, stasin causam agnoscit, cui solo auctiori sanguinis motu medela inuenitur. Duplici autem natura hic via incedere solet, dum nunc, sanguinem in tubulos obstructos validissime impellendo, impacti obstruentis resolutionem tentat, nunc autem symptomatis auctis, sanguinem stagnantem circulationi ineptum simul cum vase continente in pus conuertit, & sic illius expulsione, qua fieri potest via proxima prospicit.

### §. XIV.

Sed sufficiat haec de natura se ipsam vindicante in medium protulisse. Nihil circa hoc membrum nostrae tractationis superesse videtur, nisi ut brevibus ostendamus, quod nam prudentis medici circa haec naturae molimina officium sit.

fit. Suademus autem iterum iterumque, ut spectatores age-  
re non recusent, qui in artis exercitio versantur, si morbos,  
spasmodicos praesertim, in quibus multum sibi vindicare na-  
turam perspeximus, placide decurrere, & debitam morbo-  
sos motus excipere crisi videant. Certe enim natura sibi  
relicta morbum superabit, & qui tale vitae praescribat re-  
gimen, quo in opere non impeditur, potiori iure prudentis  
titulo salutabitur, quam qui remediorum farragine salutaria  
naturae molimina turbat. Si autem illam ita debilitatam esse  
cernamus, ut imparem subigendae causae morbificae merito  
iudicemus, tunc in eo opera medici versabitur, ut conue-  
nientissima remedia eligat, ex tanta medicamentorum, qui-  
bus fere obruta est ars salutaris, copia, quibus iusto tempo-  
re naturae vacillanti succurri queat. Talia autem, nostro  
quidem iudicio ceteris praestant, quae ipsam peccantem ma-  
teriam opposita virtute aggrediuntur, eamque disponunt, quo  
faciliori negotio subigi atque eliminari possit; id quod di-  
luentibus, antiphlogisticis, incidentibus atque abstergentibus  
egregie perficitur. Praestat certe tale blandissimum reme-  
dium pharmaco quois, motus naturae exacerbante atque  
augente, cuius quidem mensura difficillime inuenitur. Peri-  
culum simul est, ne humoribus, ex aucto motu salibusque  
euolutis, morbosam inducamus temperiem. Maximie autem  
omnium caueat medicus, ne viam, ad eliminandam pec-  
cantem materiam a natura praemonstratam, deferat. Una  
enim illa salutaris est, nec licet materiam, quam per vrina-  
rias vias natura deturbat, ad vias saliuales determinare, uti  
neque haec cum aluina excretione commutari potest; quod  
idein & de reliquis excretionibus valet. Infelici sidere mul-  
ti id conati sunt, cum nimis citu apparuerit, ad nobiliora  
viscera atque teneriora diuulsam peccantem materiam, atro-  
ciaque inde mala orta esse.

Magnum itaque prudentis medici in hoc latet arcanum,

ut naturam in curandis morbis iusto tempore ducem sequatur. Seque autem iubet ratio, si illae conditiones obtineant, quibus salutariae machinae nostrae euadere illius molimina perspeximus. Alterum nunc aggredimur dissertationis membrum, quo considerandum venit, quando & qua ratione motus excitati naturales non modo non salutares sint, sed & perniciem aliquando ineuitabilem corpori afferant. Quae dum considerare animus est, postulare argumenti ratio videtur, ut primum de causis generalis illius microcosmi destructionis, quam mortem naturalem vocant, solliciti simus. Quibus expositis illa attingemus morborum genera, quae, naturae methodo relictæ, nunc sanationem respuunt, nunc etiam, auctis motibus internis lethalia fiunt.

### §. XVI.

**Mori**, generalis cui nemo mortalium eximitur, lex est. Neque tamen morbi violentia omnes, qui viuere desinunt, extinguntur, sed placide aliquos, licet id raro eueniat, aetati occumbere videmus. Elegantissima est huius phoenomeni inuestigatio, neque minus vtilis, cum & fuerint & adhuc sint, qui hoc mortis genus nullas in machinae structura latentes agnoscere causas afferunt. Animam nimirum dicunt vi quadam, corpus suum per certum temporis spatium conseruandi, praeditam esse, cuius temporis limites a Deo T. O. M. ita determinati sint, ut illo peracto anima officio suo perfungi lege diuina definat, deserat corpus, idque hoc praesidio destitutum, spontaneae corruptioni relinquat. Nos religioni edicimus in hisce fictionibus acquiescere, sed humanam potius intuemur machinam, & in illa voluntatis diuinæ vestigia perscrutamur.

### §. XVII.

Supra autem iam vberius demonstrauimus, totam corporis humani fabricam ex diuaricatis tubis constare. Per spexi-

speximus, sapientissima lege hanc machinam ita exstructam esse, ut quicquid attritum atque effoetum, spontaneae corruptioni obnoxium factum est, segregari atque eliminari, quidquid e contrario in usus abrasi succedere potest, recipi, foueri & in omni punto sensibili applicari queat. Videamus nunc, an eadem haec structura, quae vna forsan machinae tenerrimae seculum aliquando conseruandae par erat, ineuitabilis mortis rationes in se contineat. Constat vero inter omnes, qui mediocriter tantum structuram corporis callent, maiorum vasorum latera ex minoris diametri vasis exstructa esse, quorum parietes, iterum ex minorum generum vasculis conflati, tubolorum decrescentium decrescentes series constituunt. Neque facile quemquam in arte versatum fugere potest, vilidiorem esse fluidi impetum in vasa maiora, quae cordi propiora, primam illius in expellendo sanguine vim experiuntur, minorem e contrario in decrescentium vasorum generibus, ad quae remotiora a corde illius efficacia non pertingit. Maior inde humorum in maiorum vasorum latera impetus, cui resistentia liquidi, intra minorum tubolorum parietes contenti, non respondet. Accedit, quod minimi canaliculi omne contentum fluidum in omni fere punto contingant, cum in maioribus vasis non nisi extrema sanguinis superficies attingatur. Naturali inde sequitur lege, contenti efficaciam in canaliculis magni diametri laterum resistentiam superare, contrarium in minimis evenire, in quibus facilissime contenti resistentia superatur, liquidumque a membranis, in contractionem sibi naturalem valide nitentibus, exprimitur.

### §. XVIII.

Quae cum ita se habeant, quis est qui non perspiciat, motus naturae in corpore sano vigentes minimas sensim vasculorum series comprimere, tubulos suo liquido orbare atque efficere, ut quae membrana in tubum conuoluta erat,

nunc in fibram solidam abeat? Non potest autem non robur inde canaliculo augeri, cuius membranae partem, qui coaluit, tubulus constituit. Qui quidem nunc maiori vi in expulsionem liquidi contenti nititur, superat illius resistantiam, & si vis comprimens fluidi, in maioribus vasis contenti, accedat, eadem ratione ac prior tubulus in fibram solidam conuertitur. Succedit haec coalitio per omnes vasculorum minimorum series, ad maiores usque tubulos, qui robur inde maximum adipiscuntur. Sic perit sensim corporis flexilitas, perit fluidorum, vasa expandendi & transplendente cruce coloris gratiam conciliandi, virtus. Rigescunt vasa maiora ex minimis coalitis conflata, & tota rigescunt, quae vasorum contextu constant, membra, tardiorque humorum in canalibus fere immobilibus motus praesagire illius mox imminentem funestam quietem videtur. Quodsi rigiditas illa canalem denique corporis principem, arteriam magnam inquam, occupet, infinite cordi aucta resistentia, eoque paralytico reddito, quies inducitur. Dum autem moueri fluida intra solida desinunt, viuere corpus cessat. Nonne itaque apparet, necessitatem moriendi in machinae structura fundari? Certe mori incipimus, dum robur vitae accedit, & natura ne minimos quidem ad conseruandum corpus excitat motus, qui non ad hanc necessariam illius destructionem simul conferant.

### §. XIX.

Sic vnam tractationis nostrae, de natura se ipsam destruente, partem absoluimus, dum probauimus, moriendi necessitatem in ipsa corporis fabrica motuumque naturalium actione quaerendam esse. Supereft considerandum alterum huius sectionis, idque ultimum totius dissertationis membrum, quod generalem illorum morborum, in quibus vel iners efficacia naturae, vel perniciosa ciusdem molimina existunt, considerationem exigit.

## §. XX.

Est nimis magna illorum morborum classis, qui vel ex vitiis humorum sensim natis, vel ex vitiis relictis a morbis acutis non bene sanatis orti, chronicorum titulo veniunt. Interem autem in his morbis persanandis vim naturae censemus, quia hic stimuli languent, quibus exacui naturales motus & morbi causa subigi queat. Lentis scilicet haec mala adolescere solent incrementis, siue illa a causa motus naturae salutares sufflaminante oriuntur, in quem censem melanchia venire videtur, siue etiam irritantis aliquid in suo contextu habeant, id quod in scorbuto accidit. Licet enim posteriorius eueniat, minime tamen hoc irritante ita accendentur motuum augmenta, ut subigendae atque expellendae materiae peccanti sufficient. Successive quippe generatae causae morbifcae sensim assuefacta natura inde nullas amplius mutationes patitur. Princeps autem huius rei in hoc posita ratio videtur, quod morbi chronicci ut plurimum in visceribus glandulosis, praesertim illorum emunctoriis, sedem constituerint, quo vis cordis & humorum circulantium vix pertingit. Horum enim viscerum, siue secretioni cuidam siue excretioni inseruant, cum mire perueratur actio, non potest non vel ex retentis excernendis, vel impedita succorum utilium secretione ingens oriri humorum corporis impuritas, dum interim viscus obstructum atque induratum vel in putridam abit corruptionem, vel periculofissimis lymphae effusionibus ansam praebet. Sic vires exhauriuntur, & peiores quotidie evadunt machinae conditiones, nisi arte succuratur. Apparet autem facile, in hoc omne ab arte expectandum praefidium consistere, ut excitentur languentes naturae motus, peccans humorum temperies opposita virtute corrigatur, viscerum corruptio medicamentis balsamicis & circulum per viscera liberum restituentibus impediatur, & retentorum denique, quae eliminanda erant, omnium subita iuuetur expulsio. Clarius has indicationes curatorias determinare liceret, si

ad morbos speciales transgrederemur, id quod tamen instituti nostri ratio non permittit.

### §. XXI.

Deficit itaque, si non in omnibus, in plerisque certe morbis chronicis efficacia naturae. Videamus ultimo nunc loco, qua ratione illius molimina funesta corpori fiant. Laudauimus naturae methodum quam maxime, qua ad refreshandos spasmodicos insultus incedit. Laudauimus motuum naturalium augmenta ad referandas viscerum obstructions atque inflammationes excitata. Imo & applaudimus naturae motibus, qui suspecti videri poterant, si nimis in magna inflammatione, nec vlla ratione resoluenda, vasa disrumpuntur, & obstruens impactum cum canali continente in pus blandum conuertitur. Mirum itaque multis forsan videbitur, quod de illis conditionibus dicturi, quibus naturae ipsam destruit, idem accusemus momentum, quod ante maximum ad conseruandum corpus praefidium salutauimus. Verum enim vero motus aucti, adeo salutares, si morbosae causae expellendae respondeant, dum vehementiores existunt, quam quidem ad materiam peccantem deturban- dam requiritur, atrocissimorum malorum auctores fiunt. Resolutionem aliquando admitteret magna etiam visceris inflamatio, si locus arti relinqueretur, nec natura motibus nimis exacerbatis, fluidorem obstruentis cruoris partem exprimeret, compingeret reliquum in canali obstructo, & sic deteriorem morbo induceret speciem. Imo enim minime dubitandum est, sapientius motuum naturalium vehementia canaliculos obstructos disrumpi, cum omnis ad resoluendam inflammationem spes nondum euanuerit. Disruptis autem va- sculis & effusis humoribus non alia via nisi suppuratione sanatio speranda est. Quae suppuratione quanto gradu inferior sit illa methodo, quae resolutione perficitur, neminem in arte vel mediocriter versatum fugit. Non semper enim pro-

Spere euenit, vt pus crisi salutari euacuetur, quod nunc, non sine summo vitae periculo, in corporis cauitates congeritur, nunc autem in sanguinem resorptum, inflammatory massae humorum diathesin inducit. Quodsi etiam puris critica euacuatio felici auspicio impetretur, raro tamen id exacte perfici potest, quin potius chronicis variis morbis fomes in corpore vt plurimum relinquatur.

## §. XXII.

Sed mitiora haec sunt mala, quae intempestive auctis naturae motibus impetrantur. Grauiora aliquando atque atrociora inde oriuntur symptomata. Tempus siquidem certum, certusque motus gradus requiritur, vt humor obstruens cum vase continente in pus benignum conuertatur. Quodsi motus maior sit, quam ad digerendos liquores effusos necesse est, illi inde attenuantur, sanguinis globuli in liquamen sanie flauae simile resoluuntur, omnia sensim gangraenosae corruptionis signa, sensus sublatus, mors affectae partis sequitur. Facile autem apparet, quam male hisce naturae moliminibus saluti machinae prospiciatur. Si enim vnuquam gangraena externam corporis partem occupans sanationem admittit, certe, dum internas sensiliores, partes, tubi intestinalis atque ventriculi tunieas, vel viscera vitalibus actionibus dicata aggreditur, subito lethalis est.

## §. XXIII.

Non incongruens erit, paulo accuratius in motuum naturalium auctorum effectus inquirere. Satis vulgata autem inter artis salutaris peritos res est, non agere causas morbificas solum secundum suam efficaciam, sed etiam secundum corporis reagentis virtutem. Veneni fortioris eadem copia a duobus hominibus assumta sit, quorum alter laxa & humida simul, alter strictiori & sicciori corporis temperie gaudeat. Priorem, licet longe debiliorem, vix grauiora vide-

bis inde mala pati, posteriorem licet longe robustiorem mox atrocissimis symptomatibus affligi atque vexari. Omnia itaque hic aequalia cum fuerint, praeter naturae resistentiam, foli naturae, iusto validius agenti atque applicanti, funestus in corpore robustiori euentus tribuendus erit. Auget nimurum illa sanguinis ad loca veneno irritata affluxum, cui sanguini cum ob conuulsivas stricturas transitus denegetur, dirissima inde oritur inflammatio; a tergo humores urgentur. flagrans per rupta effunditur, effusorum aucto motu acrimonia & corruptio sequitur, scenam gangraenosa destructione ut plurimum claudit. Sic corpus destruitur vigentibus naturae motibus, iisdem languentibus seruatum esset. Quid est quod hominis vitam duram agentes laboribusque exercitatos, si in morbos acutos inflammatorios incident tam raro inde resurgere videoas? Certe non alia hic appellanda causa videtur, nisi motuum naturae nimius vigor atque intempestivum augmentum, quod raro salutari resolutioni locum relinquit, sed nunc periculosa suppuratione, nunc funesta gangraena destructionem corpori affert. Non errasse itaque nos arbitramur, dum naturam se ipsam nunc conseruare nunc destruere, asserimus.

#### §. XXIV.

Innumeros praeterea in methodo naturae, qua ad morbos sanandos incedit, errores in medium proferre liceret. Sic male corpori plethorico prospicitur, dum sanguinis impetu versus tenerrima pulmonum vasa determinato, perniciosa ibi multis modis haemoptoe gignitur. Neque magis salutares nobis frequentissimae illae in diarrhoea & dysenteria

ria deiectiones videntur, quibus serum ut plurimum innocentissimum, acri irritante in intestinis relicto, eliminatur. Satis autem haec omnia perspecta sunt illis, qui ad aegrotantium lectos accedunt, nec obscura est ratio illarum conditionum, quibus hisce erroribus artis praefidio consulitur. Nostrum argumentum ulteriore harum rerum perscrutationem non requirere videtur. Subsistimus itaque in illis, quae in medium protulimus, & Deo T. O. M. omnis boni largitori clementissimo pro concesso, ad hos labores persagendos auxilio deuota mente grates persoluimus.

F I N I S,



etia johannaeis viresq; leviter ac q; leviter  
 conseruatae, scilicet huiusme in invenitias leticie,  
 summa seruare pisco omnia precepit illis, dicit qd negotio  
 transiunt letios secundum, nec operaria est ita illi  
 summa conditione, duplex pisco et tollitus suis precellis  
 confidit. Motu suu ledante avibus superflua in  
 portationem non remittit. Superrimam partem tenuit  
 illis, deo in mecum pectoribus, & D. O. T. O. M. omnis po-  
 in singulari clementissimo pto concessio, qd pos ipsorum per-  
 teneat auxilio deinceps hunc pectus perlongaverat

## FINIS

